

Versibus obscenis quin nullus erit locus hic, nec 110
 Ingenuam puer a nostris sermonibus aurem
 Torqueat, aut natae timeat matrona pudicæ,
 Sed color urbanus Satyrae inducetur honestæ,
 Si parvis vitiis porro, et mediocribus illis,
 Quorum vix pudeat quemquam, pigeatve parsimper, 115
 Adpersisse salem, Momo adspirante, licebit.
 Quis yetat interea ridendo dicere verum,
 Et quantum potero fungi vice vatis Horatii,
 Illiusque modis in corda irrepere sensim,
 Salsaque furtivo praetenerè carmina risu? 120
 Comica materies Satyris et vis erit. Atqui
 Argumenta jacent communis in ordine vitae.
 Si dabitur pedibus soccos aptare decenter,
 Urbanumque salem a lautis quaesisse Carinis,
 Si nihil obscurum, durumque morabitur orsi 125
 Coepta operis, si laeva excludat lucidus ordo,
 Si facilis brevitate sua sententia constet,
 Non ego te, Cilni, verear censore, nec uti
 Judice, patrono pridem usus; nec mea scripta
 In tunicas piperi, aut ibunt in pallia scombris. 130

Incipiam . . . Cecidere manus, viresque parantem
 Defecere statim . . . Provisæ copia frugis
 Ante oculos jacet, et series rerum ordine pulcro
 Digesta est, propriumque locum sortita tuentur
 Singula: jamque parata mihi est extensaque tela. 135
 At quonam, quaeso, tabula haec pingenda colore est,
 Illius in solo quoniam stat vita colore?
 Antiquo sermone novae res, et nova vitæ